Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis disputationibus, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis duo decimâ Decembris.

M. HONORATO MICHELET, Doctore Medico, Præside.

An Tecmarsi Propriorum, dirigenda est Morborum Curatio?

NISI Propriorum rei cujusque ingens obstaret varietas, ut una Morborum, sic una Curationum ratio satis esset. At quantùm singulatim naturæ rerum, tantundem, variant morbi. Observares alios, quos ineuntes commendant spiratio crebra, insolens jactatio, cætera terrifica; quos tamen sexta dies interdum mollit, & interdum ad salutem judicat. Alios mitiores, ut apparent, ipsâ die impari, experieris infidos. Adeò scire lubricum est, quemadmodum omnia se habent ad hominem. Sæpè suis viribus impar, vegetis ægrescit, obruitur, aut instauratur infirmis. Biliosum videas, bellè habere ad calida, Pituitosum, meliùs ad frigida, & acidis scatentem, amara respuere. Sic ut nulli mirum, ea passim in sanando Acida occurrere, in quæ Alkalia quævis, cognita ut talia, nec prosunt, nec faciunt. Hinc, quàm malè similitudinum aucupes communibus serviunt, & oculum quemque uno Collyrio linunt. Curationes, cæteroqui negotiosas, explent & expediunt accurata morbi & causæ cognitio; hujus à symptomate distinctio; medii, cujus ope, ingeniosa inventio: Quorsùm enim spectarent illæ, si fortuitæ ac incertæ fierent? Age, involent morbi in vulgus: fortè sua similitudo causarum, sua quoque signorum erit, at, si viritim rem æstimas, naturarum, omnino nulla. An tunc misso sanguine, quandò inflammatis hâc viâ succurritur, Parotidi provideres? An Pleuritidi, eò liberaliùs exhausto? Non rarò ex Plevriticis, ἀπηύσους liberalis sanguinis detractio, sicut ex Crudis, ὑδερικοὺς purgatio repetita, non sine *Nemesi*, facit. Suæ sunt morborum proprietates, & in eodem aliæ ac aliæ. Harum causâ, secta vena Tabidis, alvus Anginosis soluta, appositè consulit. Et iccirco mala gnaviter discernere: investigare, initium Natura, an Causa externa tulit? speculari demùm, quid commune, quid proprium nacta sunt? Hæc norma medendi princeps. Ni fiat: Balneum Nephriticis; Lac Arthriticis τοξικόν. Non, quantùm auxiliaris, at ne quid lædas, interest. Sunt quæ, si opprimis, perimunt; si ad tempus supprimis, prosunt. Sic Dysenteria Cancrum, & quæ suppuratos sublevat Stranguria Abscessum parit, haud opportunè sanata, ut ab imperito fit. Nihil temerè contemnere, timere omnino nihil, summa peritiæ est. Nempe erit, cùm domita renovare, invitare dubia, stupefacere aut irritare turgentia, cedet in medelam ægro. Nec, opinor, durum credet, sanitatem morbo debere? Quasi verò. Sanus est, cui se mediocriter habent *Mixtio*, *Secretio*, ξύντροφοι, queis vigent cuncta, morbi. At si de mediocritate excedunt, corpus aut brevi atteritur, aut sensim consumitur. Num sic affecto, eadem curandi forma, idem remedium, satis? At removendo, vel admovendo Ars curat utiliter. Hæc ars, si tota naturæ servit, quotquot vitæ subruunt fontes, μοχλικοῖς & illico jugulat; & ubi remittunt, ἐπικερασικοῖς interpellat: sic justum spondet ac præbet auxilium; modò constet, quid Ægroti natura est. Et sanè intruderet peregrinam, si domesticam nesciret. Hanc obviam ferunt situs atque robur partium, figuræ meatuum, modi functionum, & facultates succorum. Planum nempe faciunt, ex qua sanguinis diathesi, τὸ ποσὸν, & ex qua præsidiorum familia, προσθέσεις τῶν ὀργανῶν. Noti quandoque remedii electio est perplexa. Mitto, quòd ignoratâ naturâ rerum, cum nec ad nutum, nec præstò est, quô curares tutiùs, quid magis ex usu, vix sine errore multiplex in ægros exercitatio doceat. Sicuti cum Scelotyrbæ, Rhachitidi aut Scorbuto σπληνικὰ accommodat. Quippe aliud in alio, quod in rem præsentem venit, ubivis insinuant Affectus, Causa, & Æger. Vis igitur innotescat clariùs, quô curatio procedat appositè? Hanc consultus viam insiste. In omni morbo sunt, quæ necessariò indicant, & vicissim sunt, quæ indicantur. Hæc & illa expende, dignosce ac judica. Sic ὅ, τι χρὴ ποιέειν, & quô mediô, invenies; ac quibusnam vis actionum est opponenda, industrius disces.

ACTIONE in primis ægri fortunâ renascitur, quoties Medicus occasionem τεκμάρσει sortitus, præsens & appositum officium præstat: & cessatione, cum naturæ robur per se sufficiens est. Quod actione procedit, perfectam tùm Medicinæ, cùm τῷ μέλλοντι ἐσομένῳ, cognitionem requirit. Quod cessatione, rectum exigit de natura morbi & causæ judicium. Ipsi per se morbi, & quæ superveniunt, ut in febre ἔμετος αὐτομάτως, actionem indicant, immò verò in Acutis, statim efficacissimam. Plures sunt ideæ morbi, ῥοπὴ καὶ ἡ ἴησις. Celeritas τῶν ἐπιφαινομένων, si jure & loco sunt, cessandum insinuat: uti, si κοιλίην μαλάσσεσθαι, aut sputum crassescere, dum præcordia flammantur, accidat. Cum ad istæc laxitas partis afflictæ, pepasmus causæ morbificæ, tubulorum libertas, & naturæ fortior contentio, unde cita & læta κρίσις, ut plurimùm subsequantur. An cessares ipsâ accessionis die & horâ? Id sæpe suadent morbi, sæpe dehortatur ratio. Actionis medium, seu fundendo, præcipitando &c. recrementa ciet, utiliumve sistit profluvia; seu, intenso, aut retuso fluidi spirituosi impetu, torpentem humorum massam ad effervescentias solicitat, vel compescit lascivientem; quicquid illud virtutis est, totum à subtili textura substantiæ, & à rectitudine sui motûs, refert acceptum. Quod exemplo apud Hystericas probat fœtidorum nidor fugacissimus. Ægroti, ne dicam Medici, voto, invaletudo quævis sese summovendam clamat; sæpè tamen vetat justa futuri πρόνοια. *Alcyppus* sanari prohibebatur: sanatus, insaniâ laboravit. Solertem, qui τὰ πολλὰ ξυνιέει τῷ προφάσιος, quique prænoscere potis est, quantopere lenit, lacessit-ve actio remedii, ars nec deserit, nec fallit. Cum in præcipiti est ægrotus, dubium experiri liceat: multa si quidem expedito indigent auxilio. Attamen proposito aberraret, qui à manifestis dotes auxilii peteret. Quasi sensibile esset, cur ad Mercurii ἀπόρροιαν cutis, scabie dudum fœda, niteat? Agens naturale non quantitatis mole, non qualitate sensibili, sed actuosâ subtilitate suas vires exerit. Has intuetur, Has discernit Medicus. Propria, & sanè præcipua, Artis præsidia sunt, *Pharmacia*, cui nemo sapiens parcit, dùm vitæ minatur morbus atrox; & *Diæta*, pars illius χρησιμώτατη καὶ ἀναγκαιότατη, cujus mollitudine mulcet ac delet affectum, quandocunque inveteravit. Et re verâ, Alimenta, ut ad mali fomitem attingunt quàm proximè, ita succos glutinosos, per quos longum ac contumax est, intimiùs penetrant, suarumque soliditate figurarum frangunt, depopulantur, & vastant. Eô modô Cardialgiam Polenta sanat, succo mali punici, pro omni cibo, inspersa. At, si diætæ legibus fides, in diutinis, quibus parca & infrequens *medicina* convenit, Solem in quemcunque appositè vertimus. Quin & in acutis paucos, & redundantes, humores educere, ad curationem confert. *Euboicus Adolescens* catharsi repetitâ peribat. Sæpè succus, at sæpiùs hilum est, quô lymphatus sanguis debacchatur, quô furit spiritus exlex. Qui Medicus id ignorat, nec, cur *medicina* fallit, postea intelliget. Adde, quòd curatur nostrûm quisque, alias proprietates, alios obtinens succos. Hinc *Hyle* purgata morbum ferebat ex facili. Specifica sint, homini toti, aut certæ parti, si velis, dicata: ideo-ne ea ipsa Syphilidi, Febri, &c. indifferenter accommodabis? Simplicium quorundam moleculæ, quasque de mineris ignis extorquet, utcunque digeras, coles, distribuas, propriam complexionem, proprios mores &c. tàm obstinatè nonnunquam servant, ut ægroto graviter incommodent, & si morbo sunt adversæ. Eâre, qui indicantia legitima, & indicata, quorum supellex adeò ampla est & numerosa, perspecta habet & explorata, rarò, non curat appositè: quia utilium securus & callidus, ingeniosè id omne exequitur, quod ad Curationis opus viritim suggeritur.

QUAPROPTER τέκμαρσις ex Morbo, ex Ægroto, & ex Oblatis. Sua quoque ex Ambientis conditione consideratio est. Totum quippe illud, quod inspiratum apportat, nitro-salinum, sulphureum, armoniacum-ve sit, &, quæ plùs sanguinem versat, ipsa vis elastica, invaletudines facit, fovet, variat. Ne sit sanè: Quid valeat Aër ad sanitatem & morbum, abundè probant tàm diversa ipsius officia, queis ne momento impunè careat sanguis. Is liquor, Hominis vita, sexcentis constet, penès molem, superficiem, ac posituram disparibus? Nec, quid sunt, nec, quantùm salis habent, curiosè quærimus; sed, an secundùm naturam habent, meritò ambigimus. *Salinis*, malè retentis & intùs erronibus, sanguis scaturit fermentis, quæ sana natura nescit. Et certè beneficio salis, quem advectant alimenta, ad tubulos quosque aditum Chylus habet; inter se conciliantur, si qui dissidebant succi, vel effœti emunguntur: at illum ipsum mox sanguis eliminat, quicunque valere debet: aliàs exagitatus turget, aut hæret spissigradus, calamitatum omnium parens. Tanti momenti est foculi hujus κρᾶσις & progressio æqua, an iniqua! Pari modo, salium spirituum-ve indolis ejusdem, quorum multa ad sanandum dignitas, usus, ut dexter, furtim naturam exarmat. Spiritus urinæ coagulatum sanguinem solvit, & cùm alio succo nociturus interdum coit. Quanvis multa sunt, quæ ars promit acida, longè plura in morbido sanguine pullulare sentias; tardum dictu, quas in concretiones abitura, ob eadem salia fixa, volatilia, incuriosè oblata. Quicquid modificatur cum aliò, multum differt à se ipso simplici. Sic, sal armoniacus est, qui marinus, & urina fuerat. Usque adeò verum, per inconcinnas misturas adulterari naturam! Corpus omne tubuli sunt, & in illis oscillans liquor: sicut istius motum urgent intenduntque Acria, Salso-acria; ita obsurdant illos Acida, Acido-salsa. Mirare tàm dubios fontium acidulorum effectus? Ut Hydropi mortifero viam parant, dùm pruritui medentur, crassamque cutim emendant! Mirare pariter, cur ἀρροίαν faciunt, tollunt, salia eadem, & ferrum rubiginosum? De cætero, integros vorat ille, & citra periculum, Veratri manipulos: eôdem epoto, *Lycia* Fato concedit. Si ἰδιοσυγκρασίας obiter consideras: dic sodes, unde nam illa operandi diversitas? Ob eas ipsas minima ejusdem remedii opposita moliuntur, quoties, vel incongruenti permiscentur sanguini, vel in ejusdem canalibus hôc & illô franguntur modô. Functiones implent constans & concinna solidorum ἁρμονία; æquabilis fluidorum mobilitas; πόροι facilè meabiles; & sanguis reciprocus: quem in censum, si cujusque propria deferimus, unde idem auxiliatur & nocet, profectò habebimus. Quare Ars, quæ μάλιστα κατὰ φύσιν, ut id omne illæsum servet, à quo Partes corporis facultates ducunt & ὁρμὴν, Propria rimatur Morbi, Ægroti, Remedii; quâ unâ τεκμάρσει scopos suos ad amussim dirigit. Sic quæ indicant, discernit, & quæ indicantur, appositè eligit. Ea nimirum singularis proprietatis virtus & prærogativa est, ut ipsâ sospite factâ, reviviscant aliæ, & obrutâ, pereant. Medenti scopos designant Res, Instrumenta, & Tempus. Hæc si leviter pensat; hunc purgante valido, illum diuretico acri, insontem obruit, perdit. An, & quâ opportunitate, agendum? quibus instrumentis, contrariis-ne, an similibus æqualibus, statâ vel mutatâ vice? & an interquiescendum? quô demùm utendi modo? Propria rei cujusque veluti digito monstrant. Accedit, quòd, seu alimentum, seu medicamentum est, quô vinci speramus morbum, propriorum communis & perpetua suasio est: ex appositis ad curandum, etiam τὸ σμικρῷ χεῖρον, ἥδιον δὲ μᾶλλον, solerter eligere; ac sicunde cogit improvisum quid, aut repentinum, instrumenta curationis immutare callidè.

PARUM esset ad curandum, rerum propria cognoscere, nisi posthac methodica inveniendi instrumenta, ac iis utendi, dexteritas veniret subsidio. Ipsa supplementum θεραπείας rationalis, quô si defraudatur, futilis est, ac ferè inanis omnis alia cognitio. Est, cui mirè favet laudabilium Ἀφαίρεσις. Et est, quem restituit noxiorum Πρόσθεσις. Nullum bellè recreat *medicina* vulgaris & indiscreta. Morbus à singularibus est, & singularibus solvi amat: quorum natura & quantitas nec dici, nec percipi, nisi ab erudito & exercitato, valent. Addo, quòd, si quæ illorum utilitas, tota in exquisita simplicitate, & actionis vi moderatâ, posita est: πάντα γὰρ τὰ ἰσχυρότερα μετακινέουσι, quemadmodum & venena. Unde, id unum remedium, quô affectus tollitur, & moderantia naturalis sarta & tecta servatur. Hoc vel illud quisquis suadet affectus; formam ac utendi modum pars affecta dictitat. Vomitione, ventriculum; secessu & urinâ ductâ, cava ac convexa hepatis; & sudore, habitum, ut convenit, repurgamus. Est tamen cum in plerisque aliter, ac in cæteris, ad ea eveniat. Quæ profecerant *Lyconi*, eadem ipsa *Eupolemo* cassa & irrita erant: τὰ μὲν ἅμα ταυτὰ ἔπασχεν. Ecquid inde mirum? Frequens in simili error est, nullus in propriorum notitia. Seni, succos alterare; Puero, expurgare; neutri, venam Secare, bonum est: cum in omni curatione, quomodo explenda sit? quæ consentiunt dissentiuntve morbi, causæ, ac personæ propria, edocere debeant. Ἐφιάλτῃ anxifero & Apoplexiæ anhelosæ V. S. ἡγεμονικώτατον, cum ipsius ope sanguis, jam in pulmone congestus, aliorsum derivetur, & allabendo attenuetur. Eadem tamen scelus exitiabile est, ubi ob crudorum copiam utervis affectus urget: προκαταλυθεῖσα γὰρ ὑπὸ τῆς τοιουτῶν διαθέσεων ἡ δύναμις ἐν τῇ φλεβοτομίαις, ὥστε καταπεσεῖν ἐς ἔσχατον. Quicquid delirat sanguis cœno turbidus & immitis, plectitur pulmo miser, flammasque haurit inimico fervens imbre. Illas Minister providus & diligens extinguit de subito. Si per sudores, urinas, ἀνακάθαρσιν istud auxilii parat: uti antevertere justum officii tempus, non caret periculo; ita piaculum est, præsentem procrastinare occasionem. Vomitus-ne statim concupiscendus, an jure pertimescendus? Sapientes viderint. Superiores ventres in ipsis accessionibus convenienter movemus: eò quòd per id temporis calidorum ad partes illas μετάρροια facilis est, & prona per easdem excretio. Ad hanc præcipuè invitat lingua, ab initio bile suffusa. Hinc *Metoni* cavebat vomitio. Sua sanè in dolore lateris laus & virtus ἐπαναιρέσει eximia. At ipsam πλήθωρα, πρόσωπον ἐρρωμένον, ætas virens, & latera firma, quantùm satis, suggerant. Hoc auxilii genus adstruunt sufficienter tot spontaneæ & sospitales hæmorrhagiæ; qualis erat, quæ *Uxorem Cleomenis* à periculo vindicabat. Multa sunt ab Arte; plura à Natura sunt. Hæc inerudita, quicquid usus, efficit. Plerumque, ut morbi causas extrudat, morbum suscitat & effert. Quàm bellè victura, bone Deus! nisi malè feriatus Minister occurreret imprudenter, moras inextricabiles necteret. Illa ὀρεχθισμῷ sanguinis, vitam, alioquì ancipitem, asserebat: Hic σπληνικῷ intempestivè oblato, benè cœptum corrupit opus. Quæ putrent in vasis, fœtus ventriculi sunt; ad quos præfocandos si insurrexit natura, illinc poscit ac lubens acceptat opem. Prima inibi medicaminis modificatio, & prima actio est. Inde sanguis prægnans, menstruum fit nobile; quô uno instrumento natura succos incidit, incrassat; fibras adstringit aut laxat; obtundit, absorbet & amolitur urgentes causas. Esset ergo in ridiculo, sua illi offerre specifica, quà totius molis Cloaca patet. Ne nunc primùm fallitur, qui plurima ἀλόγως periclitatur & experitur. Porrò, in Phrenitide ac Causone offendit ψυχροποσία; quæ tamen tormento, ex simili, colico offertur, & opportuna. Quin assumptâ camphorâ, crescit intùs ardor, fervet sanguis; at, si priùs aderat æstus, mitescit ac decedit, eâdem extùs illitâ. Nempè partium diversa proprietas medicamenti vices alternat. Quid ni? si ob singularem proprietatem æstuat in umbra *Demophon*, qui sub ardenti sole Sedens, mirum in modum algebat.

QUÆ cum ita sint: seu temperamentum Ægroti; seu mores Morbi, Remedii dotes, aut Agentis exteri naturam, intuearis, singularem Proprietatem sua hìc ad vivum repræsentabunt effecta. Ipsa, particularum Rei cujusque certa dispositio; quâ adversaris, & amas. Neque, putem, aliunde affectus repeteres? Terebinthinâ assumptâ, suave olent urinæ, fœtent ex Asparago, radice alioquin inodorâ. Id seriò relege: quippe licèt abstrusas & intricatas habeant proprietates, τῇ τῆς γνώμης ὄψει propalàm obviæ fiunt. Sic curabis rectè. Sic sanitatem servabis. Abditas τοῦ Θείου causas docta curatio pandit; quæ persæpe luditur, dùm mitiora sectamur. Invaletudines benè multas fluvialis calida sanat, jejuno stomacho pota. Modum quæris? Salia, morborum causas, sorbet, ac per sua minima, quæ lubrica habet & summè flexilia, apprehendit errabunda, secumque foras asportat. Nonnunquam calida nocet, cum salia diluit. Unde, quantò solers methodus experientiâ crudiore, tantò utiliùs præstat, quidvis ex propriorum τεκμάρσει, ad curandum, facere. Et profectô, ne irremeabili decipiatur errore, medentem oportet communia intueri; sed, ut appositè curet, propria cognoscere. Sin aliter faxit; hoc unum malè medendi ferat patrocinium: τὸ σὺν πολλοῖς ἁμαρτάνειν. Ut perpetuò commiscentur & secernuntur, quæcunque natura est: modò peregrinum, modò domesticum agens tàm mirum pervertit opus. An reris μετασυγκρίσιν communia facerent, ubi proprietas obstat, quæ motûs principium remediis tribuit? Illic ægritudinem, donec migratio causæ in diversa facilis, fortuitò licet, elevat ἐπίκρασις; hìc verò malum adauget, si ad sedem præstitutam ea ipsa causa ῥοπὴν affectat. Ea propter *Simonem* quis curaret vomitus? Quæ *Scomphum* non trucidaret infera purgatio! Pro assumentis natura, & pro mali genio, mutationes remedia subeunt, & in contraria cedunt. Hîc adstringunt, quæ resolvunt alibi: quia pars à parte multò minùs structurâ meatuum, quàm succus à succo molecularum texturâ, differt. Et idcirco, quàm malè fida Communium, tàm salutaris habenda inspectio Propriorum. Si Corpus frigidum est; præter spem, coagulas; dissolvis, si calidum, cum similitudine delusus, similia admoves. Quæ malis opponimus, non calore, amarore &c. Illa domant, adigunt; at justâ proportione cum poris morbidæ causæ, & ipsius sanguinis. Quid amplius? Certum officium est, ubi agentis ad patiens favet inclinatio. Citra manifestam vim Mercurius Aurum rodit: & Calx viva, si modum servat, menstruum Stygium edulcare potis est. Amuleta & Periapta, quæ per mille cutis anfractus sua propagant effluvia, ut virtutem illibatam in vitæ lares traducunt, ita morbos aliquandò præcavere, aut arcere, nata sunt; si μίασμα tetrum spiritus suô venenô pessundat. Si quidem, tale quid in Vivente gignitur. Eadem tamen infensa erunt, si, quô adfligimur, malum malignus foveat humor. Sanguis Hirci & succus Cichorii morbos ab Acido sanant, interdum exasperant. Sic, ut malè in ægros peccent quotquot methodi communis damnata mancipia, nec status morbi, nec errores ambientis, nec occasiones aut rationes auxilii, verbô dicam, nec propriam cujusque rei naturam, quantùm par esset, distingunt. Pari modô, qui usu præservantium indiscretô, veluti Theriacæ antidoti nobilis, quæ in calidis & siccis quartanas facit & auget, sanitati consulunt, ope illorum præposterâ in morbos conjiciunt. Cum morbi curatio fiat potissimùm vi naturæ, hujus conatus exploret, hos audiat Medicus, memor, si tuendæ, si augendæ vires, ultra modum, in quo proprietas est, non esse progrediendum. At ubi instrumentis locus est, id in animum inducat suum: tùm cuique Morbo, Causæ, Regioni propria deberi remedia, tùm cujusque Ætatis & Hominis, propriam esse curationem. Sic Naturam roborat; mitigat Symptomata; Causas extinguit aut mutat; & quod palmarium est, Curationes fortunat.

Ergo Tecmarsi Propriorum, dirigenda est Morborum Curatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Bertinus Simon Dieuxivoye.
M. Joannes Boudin, Facultatis Decanus, & Sereniss. Duciss. Burgund. Med. ordin.
M. Guido Erasmus Enmerez.

M. Michaël de Hodencq.
M. Pontius Maurin.
M. Franciscus Maillard.

M. Jacobus Desprez.
M. Petrus Paulus Guyart, Mutilat. in Reg. Nosocom. Medicus ordinarius.
M. Franciscus le Rat.

Proponebat Parisiis PETRUS LE TONNELLIER, Novi-gentinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1697.